

P. II. Cap. V.
de Versione
Vulgata La-
tina.

emendandis librariorum mendis, quam in castigandis translatoris
nævis, & ab Hebræo textu deviationibus, in dirigenda imperito-
rum Monachorum lectione, & in explanando juxta fontes ge-
nuino sensu, desudat. Unde Grammaticas sæpius inspergit ob-
servationes, ex autoribus Classicis confirmatas, & ad intelligen-
dam versionem Latinam compositas. Eo longe contractius est
pervetustum *Correctorium Bibliae*, a fratribus Ordinis Prædicator.
compositum, quod in pergameno magna cum cura MSCtum, Bi-
bliotheca Academiæ nostræ Paulina servat. De quo auctores in
præfatione testantur: *quantum in brevi potuimus, ex glossis b. Hiero-
nymy, et aliorum Doctorum, et ex libris Hebræorum, et antiquissimis ex-
empla-*

hæc habet: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum*) Hebraica
veritas habet: non disceptabit Spiritus meus in æternum. Expositio Chaldaï-
ca sic habet; non erigetur generatio putrida contendere coram me in æternum.
Secundum Paulum Burgensem sic: non vaginabitur Spiritus meus in homine.
Præcavens) media correpta, i. e. diligenter cavens. Horatius in sermonibus:
vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas. *Eruntque dies illius centum
viginti annorum*) Non est hic, teste Hieronymo, humana vita, ut multi errant,
in centum & viginti annis contracta, sed generationi isti centum & viginti anni
dati sunt ad pœnitentiam. Siquidem invenimus, quod post diluvium Abraham
vixerit annos centum & LXXV. Quia vero pœnitentiam agere contemserunt,
noluit Deus tempus expedare decretum, sed viginti annorum spatii amputa-
tis induxit diluvium anno C. agenda pœnitentiæ destinato. *Gigantes autem
erant super terram in diebus illis*) In Hebræo ita habetur: Cadentes erant in
terra in diebus illis. Pro cadentibus sive gigantibus Symmachus violentos in-
terpretatus est. *Arca*) sine c aspirato. Dicta est, ut infert Varro, quod ab
ea clausa arceantur fures. Inde arcanus, a, um, i. e. secretus & absconditus.
Tristegum) & tristega, mediam corripit: derivatur enim a τρεῖς & τρίτος,
quod est tectum. *Ostium* sive ab obsto, secundum Apulejum, sive ab os, oris,
secundum Priscianum in lib. de XII. carminib. sine aspiratione principii scribi
debet. Sic ad *Psal. II.* hæc annotavit: *Quare fremuerunt gentes*) Rabi
Salomon sic: quare congregatae sunt gentes. Hieronymus de veritate Hebraï-
ca: quare congregaverunt gentes. *Reges eos in virga ferrea*) rectius: fran-
ges eos in virga ferrea. *Apprehendite disciplinam*) Hiero. adorete Filium.
Secundum Paulum Burgensem: oscula mihi filium. Ad *Prov. XIV.* ita glos-
satur: *In ore stulti virga superbia*) Rabi Jonas: propter verba, quæ loquitur
stultus, veniet super eum virga superba. *Vitis suis replebitur stultus*) Hebræi
sic: de vitis suis replebitur spurcus. *Filio doloso* &c.) iste versus non est in
Hebræo. *Stultus transiit & confidit*) Hebræi sic: stultus irascitur & con-
fidit.